

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0778

0776

0782

0772

urbem dispersim multae schismaticorum ecclesiolae et multae
Sarracenorum muscheae et Judaeorum synagogae et taber-
nacula Samaritanorum.

Principales vici sunt testudinati, sub quibus ab utraque
parte sunt pategae negotiatorum, vel coquinae cocorum; in
aliis vicis resident mechanici.

Domus civitatis ut in plurimum sunt muratae, et aliqua
pauperum tuguria sunt luto facta; magnas tamen et notabiles
domus in ea vidi. Verum civitatis magna pars est desolata,
et domus ruinosae et sine habitatore. Unde etiam cadavera
camelorum, equorum, asinorum, canum etc. non foris edu-
cuntur, sed ad deserta loca intra moenia intra ruinas domorum
projiciuntur. In locis tamen, ubi habitatur, sunt populi multi
congregati de omni natione, quae sub coelo est, sicut etiam
legitur Actor. II. Sunt etiam ibi plus quam quingenti
Judaei, et ultra mille Christiani, de omni secta et terra; sed
de nullo ritu sunt pauciores, quam Latinorum.

Aquas proprias non habent, nisi quas coeli in illam stil-
lant, vel quas industriose a longinquis per gurgites inducunt,
sicut patet fol. 249. B. Multa sunt in civitate aquarum recep-
tacula, piscinae, lacus et infinitae cisternae et fossae, ita
ut satis ab intus redundat aquis. Rex Aegypti, Soldanus, est
ibi dominus, et praeponit populo terrae praefectos, et pere-
grinis (B) et advenis Christianis et Judaeis Trutschelmannos,
et bellatoribus Mamaluccos; et ita potentia civili regit popu-
lum, quasi regimine despotico. Hanc a sui principio usque
nunc omnes, qui scripturas legunt et historias, infortuniis
multis fuisse subjectam, inveniunt. Saepissime incensa fuit,
et populus populum debellans expulit, et multoties funditus
eversa (est). Vastata enim fuit a Nabuchodonosor, rege Ba-
byloniorum; postea ab Asobeo, rege Aegyptiorum; deinde
ab Antiocho; postea a Pompejo. Post hos Herodes Magnus
et Sosius captum oppidum servavere. Deinde Titus eam
penitus destruxit et evertit, fundamenta enervans post Domini
passionem. Dereliquit tamen quasdam turres firmiores et
murum occidentalem, ut posteri cernerent, quam munitissimam
civitatem Romanorum virtus obtinuisset, et ut esset castrum
illis, quos custodiae regionis relinquere decreverat. Quanta

0277

Ende

Anfang

